

nec vomitus biliosi superveniunt; venter autem infimus exsiccatus, omnes fordes intus recondit; atque paucae et incoloratae e vesica stillant urinae; tum demum signa omnia magis maligna excitat, pridianis et ante triduis multo perniciofa, damna pessima, molestias etiam gemebundas miseris mortalibus inferens. Suam enim pristinam benignam formam facile mutat, atque ab intermittente, continua & mali moris evadit, atque in morbum pestilentialem mutatur homicidam, postea etenim horrores quidem gelidos omittit ea, verum ardorem perniciosum, continuum atque aridum excitat, nec interquiescit ille, nec cessat, firmus autem continuo ad finem usque perniciosi morbi perseverat; una vero cum illo omnia damna comitantur molesta, quae antea hominibus contigerunt, firmeque inhaerent, et omnia ingentia feruntur; pulsibus cum frequentibus, iisque obscurioribus, sitis sicca & inexplebilis, perniciofa praecordiorum anxietas, simulque coma pervigil, quod membra solvit aegroti, illumque delirantem & insanientem reddit. Deinde vero inevitabilis phrenitis facile illi obvia occurrit die nono, decimo primo & decimo tertio,